



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologōn diaphorōn syngammata palaia kai orthodoxa

Gessner, Conrad

Tiguri, 1560

VD16 G 1810

Conr. Gesnervs Lectori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72021](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72021)

ETSI propter alias occupationes in translationem Apologiæ Athenagoræ non licue-
 rit mihi ita incombere ut optabam, & par erat: uolui tamen, quod res ipsa postulare ui-
 debatur, annotationes quoque adijcere, quibus partim obscurius quædam ab authore di-
 cta elucidarem, partim contextum orationis eius Græcæ emendarem, partim & trans-
 lationis meæ rationem redderem: atque hæc omnia non penitus, nec accuratè, sed quan-
 tum præpropere festinatione licuit. Quòd si aliquid desiderent in me oculatiores, non tam
 ab illis ignosci mihi petam, quàm ut suppleant ipsi & perficiant ea, quæ ego tum ob angu-
 stiam temporis, tum in scitiam, præterij. Certè homines moderatos (qui neque ipsi nimium
 sibi placent, ueque aliena tantum incessere, ipsi nihil præstare solent) neque omnia, neque
 nihil in hac ut cunque festinata lucubratione uidisse me dicent: nec deerit fortè unus aut al-
 ter qui etiam gratias agat. Non patiebantur negotia mea integros authorum locos à me ex-
 scribi, quibus, Athenagoræ dictis lux maior afferetur: itaque citare ipsorum libros, &
 ueluti digito per capita & paginas interdum demonstrare, sat habui. Si tantum mihi otij
 fuisset, ut Tatianum, Theophilum, Iustinum, Cyrillum, Eusebium, Theodoretum, Clemen-
 tem, Arnobium, Lactantium, & alios qui idem quod Athenagoras argumentum tra-
 ctarunt, studiosius euoluere licuisset; nulla fortassis aut minori excusatione
 mihi opus fuisset, sed hanc lampadem trado alijs. Hæc interim,
 ceu lucrum quoddam & *εργασίον*, non quidem theologi &
 philosophi, sed homines philologi habebunt.

Ff 2